



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni  
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De inuentione Prophetæ Zachariæ & Stephani prothomartyris. Capvt XVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12718**

uixisset defunctus est, relictis liberis Honorio & Valentiniano Honorij successore. Interea Orientale Imperiū hostibus liberatum fuit, eiusque prouinciæ multo cum decore administrabantur præter omnium sententiam, erat enim adhuc iuuenis Imperator: Sed Deus præsentem hoc Imperio manifestè delectari videbatur, qui non solum præter expectationem quod ad hostes attrinet, ita disponderet, verum etiam multorum sancta corpora manifestaret ex his, qui olim ob pietatem illustres extiterunt. Cuiusmodi utique & illud est, quod tunc accidit in Zacharia vetusto propheta, & in Stephano Diacono ab Apostolis ordinato: Vtriusque autem inuentionis, cum miraculosa sit ac diuina, modum exponere necessarium esse duxi.

*De inuentione Prophetae Zachariae &  
Stephani protomartyris.*

*CAPVT XVII.*

**E**Xordiar autem à propheta Cophar Zacharia, villa est in territorio Eleutheropolis Palæstinæ. Huic præfectus erat agri ipsius conseruus Calemerus quidam, domino quidem suo fidelis, sed morosus interim ac difficilis, & in conterminos agricolas iniquus: Quamuis autem talis esset, propheta tamen ei vigilantem clara luce apparens se ipsum reuelauit, & hortu quodam demonstrato, Age quæso, inquit, hic fodito, ab hac sepi in hortu mensura ducta ad cubitos duos iuxta viam, quæ ducit ad ciuitatem Bethrerebin: Reperies enim arcam duplicatam, ligneam interiorem in exteriori plumbea, & propter hanc arcam vitreū item vas aquis plenum, & duos etiā serpentes amplitudine mediocres, mites & innoxios adeo ut mansueti videri possint: Calemerus igitur ad locū indicatum ex prophetae mandato profectus, operi gnauiter incūbit, & cum secundum prædicta signa iam in opertū producta & reclusa esset arca sacra, apparuit diuinus Propheta candidam stolā indutus, utpote, qui, ut opinor, etiā sacerdos fuerit: Sub pedibus autem eius extra arcam iacebat puer

## SOZOMENI HISTOR.

puer Regali apparatu sepultus : habebat enim in capite coronam auream , & aurea in pedibus calciamenta , & vestem pretiosam : Disquirentibus igitur tum sapientibus ac sacerdotibus de isto puero , quis nam & unde esset , & cur sic ornatus esset , fertur Zachariam qui tum in Geraris conuentui monastico præerat , in vetustum quoddam , sed non canonicum , Iudæorum scriptum forte incidisse , quod iradebatur , quod Ioas Rex Iudææ non multo post quam prophetam Zachariam interfecisset , in domum suam ingentem calamitatem acceperit . Quandoquidem septimo post interfectum prophetam die , filius admodum ipsi charus repente interiit : Colligens igitur se propter iram diuinam in huiusmodi calamitatem incidisse , sub illius pedibus puerum sepeliuit , quasi hac ratione sese purgaret illis , quæ aduersus prophetam deliquerat . Atque hæc quidē ego sic accepi : Propheta verò tamen si sæculis iam plurimis sub terra iacuisset , viuus tamen adhuc apparebat : Capite raso , naso oblongo , barba modicè prominenti , capite breuiusculo , oculos habens aliquantulum profundos ac supercilijs contextos .

FINIS LIBRI NONI.